



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Assertiones Philosophicæ Fusius Deductæ Philosophiæ  
Peripateticæ communioris Epitomen exhibentes**

**Leuren, Peter**

**Coloniae Agrippinae, 1681**

clxxx [i.e. i]. Generatio strictè est mutatio totius in totum nullo sensibili remanente ut subjecto eodem.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71607](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71607)

cum potentiam, quâ producit aliquid in tempore, semper habuerit, etsi ab ea semper non processerit effectus, quem semper esse conjunctum causæ primæ ob rationes supra positas repugnat, qualiter eum esse cum causa temporali secunda, non repugnat. Neque omnipotentia Dei hinc dicitur æterna, quod illi ab æterno potuerit effectus aliquis coexistere, sed quia ipsa ab æterno fuit, potueritque semper prius & prius producere effectum.

## DISSERTATIO XVII.

### *De Generatione & Corruptione.*

I. **G**ENERATIO substantialis absolute & in genere spectata, est productio compositi substantialis dependenter à materia materialiter causante formam & unionem, vel solam unionem substantialem. Generatio Aristotelica, sive quæ ordinariè & viribus naturæ fit, est *mutatio* (intellige causalis) *totius in totum* (id est, unius compositi in aliud compositum substantiale, non quod per generationem ordinariam omnes compositi præcedentis partes destruantur, sed quod

quòd per illam ex materia remanente cum adveniente nova forma novum constituatur compositum ) nullo sensibili remanente ut *subjecto eodem* : id est , non remanente priori composito ; hoc enim totum est subjectum denominationis, & quod per accidentia denominatur sensibile. Talis generatio non est transubstantiatio , per quam substantia panis transit in substantiam corporis Christi , & quâ speciebus corruptis, corpus Christi desinit esse ibi, & eo desinente à Deo creatur nova materia, ex eaq̃ue pro eodem tēpore educitur V. G. forma vermis ; quia hæc non est transitus præexistentis & remanentis materiæ ab una forma ad aliam. Similiter talis non est mutatio accidentalis , in qua manet idem subjectum, non tantum inhætionis, sed & denominationis. Item ea quâ Deus manente forma ligni unitâ materiæ, ex eâdem materia educeret formam ignis ; & quâ ex materia existente absq̃ue omni forma educeret formam aliquam ; nullum enim in iis corrumperetur subjectum. Illud hîc observandum , quòd generatio sic definita non satis distinguatur à creatione , etsi hæc ab Arist. dicatur ignorata ; si enim crearet Deus formam

mam

mam & unionem, adhuc esset verus transitus materiæ à non esse formæ unitæ seu à privatione formæ ad formam. Consistit hæc generatio, tam respectu hominis, quàm rerum aliarum in educatione unionis; hac enim posita, formaliter & ita resultat compositum, ut ne quidem divinitus impediri possit, sicut Deus positis alterationibus materiam disponentibus, imò eductâ jam formâ impedire potest, ne fiat compositum.

II. Generatio propriè viventis à vivente (qualis hîc non censetur ea, quâ vivens, v.g. mus ex putri generatur à Deo) est *origo viventis à vivente, conjuncto in similitudinem nature*: id est, est productio seu processio (sive ea sit causalitatis, qualis est generatio viventis creati, sive nō, qualis est generatio Verbi) procedens à vivente, quod, si immediatè per se ad productionem animæ vel unionis nō concurrat, aut materiam, ex qua educatur anima & unio vitaliter suppeditet, eandem ad minimum vitaliter elaboret, necesse est; qualiter adhuc plantæ semina elaborant, etsi ea dein vitaliter à se non decidant & terræ mandent: quod quia non fecit Deus, dum tulit costam Adæ, formavitquè ex ea Evam, genitor illius  
dici